

The *Manipulus/Somnium* Project

<https://somnium-project.wlu.ca>

Aduocati s

Post Alanus:

"si autem iudices vel advocati susurrant pecunia,
orphei lira, carmen amphtrionis,
musa virgilii voce, pecunie suffocantur
quid plura ubi nummus loquitur
tulliani eloquii, tuba raucescit
ubi nummus militat, Hectoree militanti, fulgura compescuntur
ubi pugnatur pecunia, virtus expugnatur herculea
et nummus vincit, nummus regnat, nummus imperat universus".

Somnium, Prohemium 21 (G. Voltolina ed., p.17).

Si in aurem iudicis uel aduocati sussurret pecunia,
Orphei lira, carmen Amphionis,
musa Virgilii uoce pecunie suffocantur.
Quid plura? Vbi nummus loquitur,
Tulliani eloquii tuba raucescit;
ubi nummus militat, Hectoree milicie fulgura compescuntur;
ubi pugnatur pecunia, uirtus expugnatur Herculea.
Nummus uincit, nummus regnat, nummus imperat uniuersis.

Alanus libro de conquestione nature.

Per quam, ubi nummus loquitur, Tulliani eloquii tuba raucescit;
ubi nummus militat, Hectoree milicie fulgura conticent;
ubi pugnatur pecunia, uirtus expugnatur Herculea.
Si quis enim armatur pecunia tanquam loricis argenteis, torrentis impetum
Tulliani, fulgur incursus Hectorei, robur uirtutis Herculee, versipelles
Vlixee calliditas floccipendit argutias. In tantum etenim habendi fames
incanduit, ut dialetice muta sit subtilitas, retorice languescat ciuilitas.
Vbi nummorum perorat pluralitas, iam Tullius sui monetam uendit eloquii,
sui pudoris monilia in auri precium conmutat Lucrecia, Penelope sue
mercenaria castitatis pudorem deponit in pretio. Ypolitus etiam, si nummi
preces audiat susurrantis, sue nouerice non uult precibus nouercari.
Nam si in aure iudicis sussurret pecunia, Orphei lira, carmen Amphionis,
musa Virgilii, uoce pecunie suffocatur.
Iam diues diuiciarum naufragans in profundo ydropice sitis incendiis
tantalizat. Pauper etiam, quamuis materialem auaritiam realiter exercere non
ualeat, intus tamen archetypam retinet parcitatem. Proh pudor, metallorum
onera largiuntur honores ad metalli pondera ponderatos. Iam non *Cesar* sed
nummus *est omnia* qui ab indiuidualibus usque ad generalissima honores
singulos tanquam mediator excurrit. Nam nummus patriarcha noster existit,
qui quosdam archiepiscopatus inthronizat in apicem, quosdam episcopalis
fastigii erigit in honorem, hos archidiaconalibus adaptans officiis, alios
aliarum pedestrium dignitatum coequans negociis.
Quid plura? Nummus uincit, nummus regnat, nummus imperat uniuersis.

Alanus de Insulis, *De planctu naturae*, 12 (N.M. Häring ed., pp.855-6,
ll.89-114).